



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoquoque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput X. Praxis fructuosa, & cuique facilis, conscendendi à rebus creatis
ad earum Procreatoris notitiam, per primum ex duobus consecrariis jam
dictis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

cognitionem, admirationemque invisibilis earum opificis. Nam &, teste Philosopho: *Nulla res naturæ est, in qua non mirandum quidpiam occurrat.* (L. 1. de Part. An c. 5.) &, juxta recit. tam à Clemente Alexandrino D. Mathiæ Apostoli sententiam: *Admirari præsentia primus est ulterioris cognitionis gradus.* (L. 2. Str. c. 5.) Sed, quoniam curæ mihi admodum est, nè, quæ hac super re dixi, celeri lectione decursa, nullum in animo sui effectum relinquunt; juvat in iis aliquantò diutiùs immorari: & majoris facilitatis, atque frugis gratiâ, utriusque ex prædictis consecrariis praxim ad meditationem, certis capitibus comprehensam, redigere.

CAPUT X.

Praxis fructuosa, & cuique facilis conscendendi à rebus creatis ad Procreatoris notitiam, per primum ex duobus consecrariis jam dictis.

Natura, ceu observatum à Seneca est, (De Otio Sap. c. 32.) *Artis sibi, ac pulchritudinis suæ conscia, nihil non molita est, quo contemplatores, admiratorésque illius nos haberet, Ut sci-*

scias, illam spectari voluisse, non tantum aspici; vide, quem locum nobis dederit: nec erexit tantummodo hominem, sed etiam, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, & vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput, & collo flexibili imposuit. Atque utinam justissimis hisce illius studiis morem gerere homines velent, disruptisque inanium curarum, à quibus angustum plus nimio intra limitem coercentur, retinaculis, libero mentis volatu rerum universitatem percurrerent, contemplaturi in illius magnitudine, & specie, qui eam omnipotentiam suam condidit, providentiam suam regit, immensitate sua complet. Utinam, dico, nobilissimæ huic exercitationi mentem assuefacerent. Proh, quàm mira, & eximia eorum se obtutibus ibi offerrent spectacula? Quàm in illa spatiorum amplitudine eorum cor laxaretur? Quàm ad novæ illius magnificentiae conspectum decresceret pretium, in quo nunc habent suos census, ac quæstus terrenos? Quanta indè in eorum animis proveniret sensuum generositas, affectuum tranquillitas, DEI æstimatio, humanarum rerum contemptio? Hæc certè occupatio est, in qua pari cum delectatione, atque fructu versari solent mentes liberæ, mentes patritiæ, mentes magnorum capaces, natæque ad sublimia, & cæle-

lestibus typis excusæ. Cujusmodi haud dubiè magni Antonii mens erat: qui, rogatus à Philosopho, quam posset ratione in eremo sinè libris agere; Erras, mi homo, respondit, si librorum me inopem putas: & manum protendens, vidèrne, subjecit, hoc cælum, hunc solem, hanc planitiem, has arbores? Hic meus liber, imò hæc bibliotheca est, ubi nunquam mihi deest, quid legam, quid discam, quid admirabilem, & divinarum notionum inveniam.

2. Age igitur, veniamus nos quoque, mi Lector, ad praxim tam præclari, tam jucundi, tam utilis studii; útque initium fiat à primo dictorum generum; si huic vacare in animo habes, locum ante omnia tibi elige quàm maximè solitarium, & ab hominum strepitu, ac turbis remotum. ubi nempe possis & rebus considerandis mentem attendere, & conceptos animo affectus verbis expromere liberius. Cures præterea, esse eundem, quantum fieri potest, patuli quoquo versum prospectus, & unde plurimum agri, atque cæli usurpare oculis licet. Cùm enim tuæ meditationis materies rerum spectabilium universitas sit, tantò minùs mens laborabit in illius contemplatione, quantò magis præsentem, & ipsismet sensibus objectam habuerit. Illic, omni homi-

minum, & rerum humanarum cogitatione
ablegata, supremum Conditozem tuum ora,
ut suis in effectibus suam tibi magnitudinem,
sapientiam, & operandi virtutem dignetur
cognoscendam præbere. Mox in eum cor-
poris situm compositus, qui tua è re magis sit,
oculosque in multimodam divinorum ope-
rum, quæ undique occurrunt, varietatem de-
figens, considerandam primo loco mundanæ
totius molis magnitudinem sume. Hic verò
confestim infima illius pars, & nativa homi-
num sedes, ingens terræ globus se offert, cum
tot diversissimis Regionibus, & vastissimis ma-
ribus, quæ suo sinu complectitur, intrà cir-
cumfusum undique aërem suspensus, nec alio
fultus nixusque, quàm nativæ gravitatis suæ
fundamento. Sequitur elementum aëris,
quod mediani terræ molem undecunque am-
bit, & è quavis centri illius parte in altitudi-
nem milliariū plusquam ducentorum trigin-
ta octo millium consurgit: ut proinde ad
struendum è terra in cælos ascensum, nedum
tria terreni orbis frustula, cujusmodi esse
montes Pelion, Olympum, & Ossam quilibet
perspicit; sed neque viginti quinque solidi or-
bes terreni, alii super alios congesti suffice-
rent. Subeunt post aërem septeni erranti-
um siderum cæli, & super hos firmamentum
è so-

è solida materia compactum, in quo stellas, quasi aureos quosdam clavos videmus defixas, moxque cælum crystallinum, ac denique empyreum, in quo desinit, & cujus ambitu quidquid creatarum rerum est, continetur: orbes sanè vastissimi, & immensæ amplitudinis; ut, nè acervatis singulorum mensuris confusionem tibi pariam, satis putem, ad eam aliquatenus indicandam dixisse, minimam visibilium stellarum quater esse, & sexagies terrestri globo majorem, unam verò quamque earum, quæ primæ magnitudinis appellantur, plusquam quinquies mille, ac trecentis & quinquaginta vicibus ejusdem moli antestare. Pronum quippe est cuilibet hinc colligere, quantam necesse sit firmamenti totius vastitatem esse, in quo prædicta astra locum obtinere vix puncto majorem videntur. Hæc igitur illa rerum universitas est, cujus solam magnitudinem hîc tibi contemplandam objicio. Cures eam primò particulatim, ac deinde totam simul, quoad potes, concipere: tum verò altè imbutam, penitusque confertam magnificis illius imaginibus mentem deorsum reflecte ad spectanda illa mausolæa, illa amphitheatra, illas pyramides, & alias hujuscemodi fabricas, de quibus, tanquam de ultimis suis conatibus usque adeò gloriatur, &

& jactabunda incedit potentia, sive, ut loquar
 veriùs, imbecillitas humana. Postremò, ubi
 nostratium id genus molitionum exilitatem
 deriseris, & universitatis molem unam verè
 grandem & magnificam, admiratus pro suo
 merito fueris; revoca in memoriam eam,
 quanta quanta est, fuisse ab æterno suo arti-
 fice, sinè ullis administris & instrumentis, imò
 etiam sinè ulla præexistente materia, mero
 voluntatis suæ nutu productam. *Aspice ad cæ-
 lum & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, &
 intellige, quia ex nihilo fecit illa DEUS.* (L. 2. Mach.
 c. 7.) Concludens primum hoc meditationis
 tuæ caput congruis affectibus altissimæ, tum
 admirationis de tam singulari, & inaudita agen-
 di virtute, tum reverentiæ erga supremum
 illum Effectorem, cujus opera tanto interval-
 lo ultimos quosque humanæ omnis non mo-
 dò potentix, verum etiam intelligentix fines
 transfiliunt. *Magna opera Domini, Confessio, &
 magnificentia opus ejus. Dicite DEO, quàm terri-
 bilia sunt opera tua Domine? Ipse omnipotens su-
 per omnia opera sua, terribilis Dominus, & ma-
 gnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius.* (Ps.
 65. & 110. & Eccli. c. 43.)

3. Secundò considera hanc eandem mun-
 di universitatem, secundùm perfectissimam
 & summè admirabilem singularum illius par-

K

tium

tium inter se congruentiam: unde illa existit
ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa con-
scendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus tem-
perata, à qua S. Augustinus (*In Ps. 144.*) sua-
 vissimo quodam concentu divinæ sapientiæ
 decora celebrari audiebat. Considera illam,
 dico, ex altero etiam hoc capite & palàm pro-
 spicies, quàm verè Theodoretus scripserit,
 (*L. 4. contra Græc.*) *Mundum consideranti mira-*
culum miraculo superaddi. Quid enim? an non
 miraculi genus est ordo ille tam artificiosus,
 tam visu decorus, tamque usui aptus, quo ce-
 lestia & elementorum corpora disposita, in-
 ter seque coagmentata cernuntur? An non
 miraculum dixeris rapidissimos, exactissimos
 que motus, quibus mundus superior assidue
 circa inferiorem convertitur, ad varias anni
 tempestates alternandas, lucemque, & cæte-
 ros salubres influxus nulli non ejus parti op-
 portunè distribuendos? An non miraculi spe-
 ciem refert invariabilis tenor, quo peculiaris
 quælibet causa pergit tot sæculis certos, natu-
 ræque suæ proprios effectus producere, nun-
 quam à legibus devians in prima sua creatione
 sibi præscriptis? Num miraculo vacat, quòd
 assidui rerum singularum interitus perpetuita-
 ti specierum nūl obsunt, sed subita, & nun-
 quam deficiente novorum partuum successio-

ne priorum detrimenta pensantur, idque unū ex tot cladibus provenit mundo, ut quotidie ad primævam juventutem se instauret? An denique non miraculum, & quidem rarissimum meretur dici conjunctio discordiæ prorsus irreconciliabilis inter partes cum summa totius tranquillitate atque pace? Constante siquidem mundo ex naturis adeò inter sese non solum diversis, verum etiam contrariis, videmus has nihilominus tam mirabili providentia compositas, ut, dum unaquæque privatos instinctus suos sequitur, & cum aliis hostiliter pugnat, nullam tamen universitati perniciem afferat; sed ejusdem insuper conservacioni, & pulchritudini serviat. Ah jure Athenagoras (*Or. pro Chr.*) *Musicum DEI organum* hanc rerum universitatem vocavit. Neque enim superioris dundaxat mundi corpora rite modulatis suis motibus eum *cæli concentum* efficiunt, de quo in Jobi historia (*c. 38.*) fit mentio; sed & cæteræ quævis rerum species, quasi totidem nervi ad musicas leges temperati, intenteque, multiformi suarum operationum varietate in harmoniam tam suavem conspirant; ut quisquis sincero integròque auditu animi est, incredibilem ex ea voluptatem percipiat. Aperi ergo mentis aures, si tu quoque frui hac musica expetis: &, posteaquam artificio-

sissimos illius modulos attentè observaveris; collige hinc, quanta sit illius mentis perfectio, quæ in mirabilem adeò symphoniam conciliare innumeram tot naturarum diversitatem potuit: quæ eas omnes formavit, ac disposuit *in mensura, & numero, & pondere*: (*Sap. 11.*) quæ unicuique proprios & peculiare instinctus dispertiens, providit nihilominus, ut eundem in finem omnes congruerent: quæque omnibus continenter præsentissima assistit, in minutissimas quasque singularum operationes arcana vi influit, omnes demum dirigit, movet, gubernat, non majori negotio, quàm si de una tantummodo cogitaret. O artem infinitam! ô capacitatem mentis immensam! ô sapientiam omni ulteriorem modo atque limite. *Date magnificentiam DEO nostro. DEI perfecta sunt opera. Non est similis Tui in Diis, Domine, & non est secundum opera tua. Magnus es tu, & faciens mirabilia. Quam magnificata sunt opera tua, Domine? Omnia in sapientia fecisti.* (*Deut. 32. Ps. 85. & 103.*)

4. Tertiò, post mundi universitatem ità generatim inspectam, perge nonnullas ejus partes considerare, in quibus peculiari ratione supremi Effectoris ars eminet, cujusmodi eæ sunt, quas in orbe terrarum assiduè præ oculis habes. Quemadmodum enim lineæ

cu-

enjuslibet circuli in illius centro omnes concurrunt; sic divinæ sapientiæ miracula in hoc orbis universi medio densiora, & magis conferta cernuntur. Sed quia omnes istiusmodi rerum species perlustrare nimii operis atque temporis foret; sat tibi esto pro hujusce, & capititis subsequenti materia, duas tantum seligere, animalia nimirum, & plantas. Animalium itaque considerationem aggrediens, incredibilem primò eorum varietatem observa. Quot volucrum species, quot aquatili-um, quot quadrupedum, quot humi reptantium? Quis omnium recensere nomina, aut comprehendere numerum valeat? Quàm insignis discrimen inter unum genus, atque alterum cernitur: inter quadrupedia nimirum, & aquatica, interque volatilia, & humi reptantia? Quantum illa etiam, quæ ejusdem sunt generis, à se invicem differunt, seu in rostro colore atque cantu, ut volucra; seu in corio, & figura, ut aquatilia; seu in pilis, in capite, in pedibus, in vocis sono, in moribus, atque studiis, ut quadrupedia? Intuere præterea eorum venustatem, solertiam, aliasque proprietates, quibus unamquamque speciem communis author dotavit. Quàm formosum oculis præbent spectaculum versicolores pavonum plumæ? quàm numeroso concentu au-

ribus blandiuntur lusciniæ? quantum vividæ
flammæque agilitatis apparet in mugilum per
undas discursu? quantum majestatis & pom-
pæ in gallorum incessu? quàm amabilis est ca-
tutorum festivitas? quàm ludicrum & scurri-
le simiarum ingenium? quàm excitata vul-
pium sagacitas? Addantur commemoratis do-
tibus naturalis araneorum geometria in di-
sponendis, texendisque suis filis; alcyonum
in nidificando architectura, formicarum pro-
videntia in victu ad futuras opportunitates
tempestivè parando, hirundinum, aliarum-
que avium sedulitas in mutandis per hyemem
sedibus, & transmarino mitioris cæli hospi-
tio quærendo: néve, per singula discurrens,
sim longior, addantur industriæ artes, qui-
bus omnia communiter animalia, uti solent,
seu ad necessarium sibi victum inveniendum,
sive ad suam, suorumque fœtuum incolumi-
tatem à vi hostium tuendam: nec non rerum
sibi noxiarum, atque utilium scientia, quam
omnibus pariter à primo in lucem exortu in-
fundit natura, quò & illa cavere, & his
possint juvari. Animadvertite postremò ar-
tificiofissimam, nec ulli admirabilem satis eo-
rum corporis fabricam: in qua credi vix po-
test, quanta sit organorum, ad operationes qua
sensibiles, qua vitales facientium varietas. Ut
que

que id luculentius pervideas, pone tibi ob oculos animalculum quodlibet ex minimis mole, atque pretio, muscam exempli gratiâ, vel culicem. Quis arbitraretur in corpusculo illo tam tenui locum suppetere, ubi constituatur os cum maxillis, & reliquis vescendi instrumentis: ubi constituantur oculi, cum omnibus membranis, musculis, atque humoribus, ad videndum necessariis: ubi constituantur aures, cum iis tympanis, nervis, atque anfractibus, quibus eget auditus? & tamen, super hæc omnia, necesse adhuc est existere inibi cerebrum, pro officina spirituum, sinè quibus moveri animal nequit: existere cor, ad productionem caloris vitalis: existere pulmonem ad reciprocationem halitûs: existere stomachum, ubi fiat alimenti concoctio: existere alveos, & canales, per quos idem jam concoctum in reliqua derivetur membra: existere conceptacula & vasa, ubi, quod supervacaneum ex eo est, colligatur: & centum alias hujuscemodi partes, tanto singulas artificio elaboratas, suisque usibus opportunas; ut, si oculus eas probè discerneret! mens satis admirari nequiret. Prodeat jam huc quivis Stagirites, quivis Myrmecides, quivis Archimedes, aut alius ex solertioris ingenii, & celebrioris famæ opificibus; & secum disquirat, nū vel

uni talem corporum architectando, efficiendoque, quamvis totum vitæ suæ tempus infumat, par sit. Sed quid dico de illius universi effectione? cum haud dubiè concessurus palam sit, deesse sibi ingenium, ad elaborandam vel muscæ alam, vel volucris plumam, vel formicæ ocellum, vel pulicis cruculum, vel cochleæ testam, aliumve hujusmodi partium, quas præ nimia multitudine, atque assiduo earum conspectu nos nihili pendimus: sed, qui introspicere penitus vellet, aut posset artificium, cum Plotino ibi deprehenderet incomparabiliter majus, quam in consummatissimis quibusque, & summo studio perfectis opificum humanorum laboribus. (*En. 3. l. 2. c. 13.*) *Ars apparet ubique miranda, non in divinis solum, sed in iis etiam, que facile quis ob exiguitatem sperni à providentia judicaverit.* Quidnam igitur, his ita perpensis, de illa tibi videtur fecundissima, prodigiosissima, & verè divina mente, quæ tam innumeram nulli excogitabilium inventionum, nullique perficiendorum operum diversitatem concipere, atque exequi potuit? *Quis disposuit ista? Quis fecit ista? expavescis in minimis? Lauda magnum. Qui fecit in cælo Angelum, ipse fecit in terra vermiculum.* (*Aug. in Ps. 148.*) Nihil certè superest, nisi ut infinitam adoremus Opificis

cis Illius sapientissimi artem, nisi ut illi nedum comprehendendæ, verum etiam admirandæ fateamur nos omnino impares: nisi demum ut attoniti, & profundissimo stupore percussi, exclamemus cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI? Quam incomprehensibilia sunt (vel in hisce minimis) iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus? (Ad Rom. 6. II.)*

5. Quartò, considera plantarum naturam, quæ & ipsæ admirabilem æterni sui Authoris sapientiam, & virtutem sub oculos ponunt: sive communis earum formatio, & structura, sive innumerabilis specierum varietas, sive peculiaris, quantum ad nonnullas partes, elegantia, & concinnitas spectetur. Ad communem omnium structuram, quòd attinet, exemplum hujus capere ab aliqua proderit, ubi propter molis amplitudinem spectabilior ea appareat, observarique ideo faciliùs possit, putà à quercu annosa & ingenti. Quisnam, rogo, in hanc oculos figens, potest sinè peculiari delectatione intueri immanem eum truncum, qua terræ propior, crassiòrque est, cortice amictum, aspero quidem, & rugis horrido, sed vel propterea gigantæ illius vastitati magis accommodo: tum, post justam altitudinem, in complures hac illac dispersitos

arboreæ magnitudinis ramos, simplices alios, alios multifidos, alios in rectum productos, alios in obliquum retortos, omnes verò circa verticem conveltitos virgis & frondibus, quæ viridē, umbrosamque silvestri illi Briareo coronā intexunt: ordine sanè fortuito, quique ad primam speciem temerarius, incompositus, & artis omnino expers videatur: sed unde proportio, pulchritudo, & majestas in totum redundat, qualem ars nostra nesciret ei dare, si illud concinnare ad normam suam vellet? Quisnam rursus, mentis acie illius interiora pervadens, potest non mirari multiformem radicum virtutem: quæ, præterquam quòd pedum instar totum arboris corpus sustentant; oris item, & stomachi, atque hepatis ministerio funguntur, sugentes, concoquentes, & transmutantes materiam, unde illud nutriri, conservationis & incrementi ergo opus habet? Quis non obstupescat, si secum reputet, vitalem illum succū, à radicibus ità attractum digestūque, dum per arborem universam, illius venulis, atque fibris exceptus, diffunditur, etiamsi ejusdem ubique qualitatis, & generis sit; alias tamen alibi species induere, atque hic in corticem, ibi in lignum, hinc in folium, ibi in glandem mutari? Quis denique satis percipere, & assequi animo queat, quoniam

nam

nam modo illæ radices , ille truncus , ii ramī ,
illæ frondes , tota , uno verbo , immanis illa
arbor , intrā minutissimum olim semen , quod
nec centesimam partem glandis suæ æquat ,
partibus inter sese ad invisibilem parvitatem
compressis , latuerit : mōxque ex illis se angu-
stis paulatim evolvens , hanc , quæ in ipsa nunc
apparet , formam , distinctionem , & magni-
tudinem sumpserit ? *Magna quædam res est* , at-
tonitus hīc exclamet Augustinus , (*Tra 8. in Jo.*)
Horror est consideranti. Talis itaque est plan-
tarum formatio , & talia , quæ in ipsis indè oc-
currunt miracula , à nobis quidem in una ex
majoribus animadversa , sed nihilo seciùs vel
cuilibet minimarum communia. Jam verò ,
si earum species intueri libeat ; tanta sese ha-
rum sive in arboribus , sive in virgultis , sive
in herbis diversitas prodit , ut humanæ mentis
captum , & supputationem excedat. Sat fue-
rit in paucis quibusdam , quæ notiores vulgò
sunt , eam delibare , nec nisi circa folia , fru-
ctus , & flores. Quantum enim , quæso , vel
in solis frondibus differunt cupressus ab ul-
mo , quercus à platano , cerasus ab olea , pru-
nus à palma , ficus à mespillo ? Quàm diver-
sum ad exemplar conformati apparent cùm
omnes communiter fructus , tum nominatim ,
quos pariunt pinus , castanea , malus punica ,
ma-

malus medica, vitis, pirus, amygdalus? distimillimi unusquisque à ceteris, seu quantum ad figuram, seu quantum ad dispositionem, & numerum partium. Nè de sapore interim loquar, in nulla tot specierum non proprio. Quid plura? quantam seu visus, seu olfactus varietatem deprehendunt in floribus? Quos inter nullum est reperire, non suo odore fragrantem, non peculiari ratione figuratum & pictum. O summe rerum Conditor! quid hic nobis admirandum magis sit? Tuane incomparabilis ars & sapientia, in tot invenientis venustatum, odoramentorum, & saporum generibus? An æqualis benignitas in prospiciendo tam exuberanter nostrorum sensuum deliciis? Progrediendo denique ad exquisitissimam artificii elegantiam, & subtilitatem, quæ in certis plantarum quibusque partibus intuendam se exhibet; considera illam in malo Punico, considera in frumenti spica, considera in rosa, vel alterius cuiusvis generis flore, considera in promiscuo quovis sive herbæ, sive arboris folio: nec dubito, quin unumquodque istiusmodi objectorum satis superque futurum sit, prout D. Basilius recipit, ad mentem tuam omnem illius admiratione complendam, qui ea grana concinnè adeò disposuit, eum flosculum adeò venustè depinxit,
gra-

graphicéque id folium delineavit. (Hom. 5. in Hex.) Profectò unum fœnum, unâque herba mentem tuam, ad eas artis rationes perspiciendas, ex qua prodiit, occupare universam potest: Adigens te, ut cum D. Augustino concludas, DEUM ità esse artificem magnum in magnis, ut minor non sit in parvis: quæ parva non sua magnitudine, sed artificis sapientiâ metienda sunt. (L. II. de Civ. c. 21.)

6. Enimverò nimis multa sunt dicta pro unius meditationis materia, licet minimum, imò penè nihil sit dictum pro argumenti amplitudine, quam non nisi strictim obiterque nos attigimus, quantum nempe fat foret ad summa indicanda viarum capita, ad quæ tua consideratio perducta, ulterius mox, atque ulterius per se progredi posset. Duo restant, de quibus, circa praxis hinc propositæ usum, te commonitum velim. Primum, considerationis hujus capita non esse festinanter transcurrenda, sed maturè ac per otium pensanda, quoad luculentam, & vividam divinæ sapientiæ, potentiæque imaginem non modò in mente tua excitent, sed penitùs etiam intiméque defigant. Quod haud facilè consequeris, si vel iis, perpendendis non nisi semel operam dares; vel singulis vicibus, intrà horam, vel semihoram meditationi assignatam, ea velles simul
omnia

omnia complecti. Quocirca è re fuerit, tum pluries ad eorum considerationem redire, tum singulis vicibus, uno alteròve contentum capite, reliqua in alterum diem perpendenda seponere. Alterum monitum est, considerationem divinorum operum, ut ad prædictum suum finem conducat, non debere esse, qualis Ethnicorum sapientum fuit, curiosam, materialem, profanam: sed qualis requirenti DEUM convenit, Christianam & piam. Cujus rei exemplo esse potest remedium à Christo Domino adhibitum, ut hominem ab exortu suo cæcum videndi facultate donaret, lutum nempe, quod ex humo, & saliva sua finxerat, super illius oculos illitum: (*Joa. c. 9.*) *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit super oculos ejus:* Perinde quasi hoc suo facto vellet nobis innuere ad consequendum, ut res sensibiles, quæ crassæ ceteroqui, ac terrenæ indolis sunt, supra considerationis nostræ oculos positæ, vim illuminandi nos habeant, efficiendique, ut supremi Effectoris nostri magnitudinem, bonitatem, sapientiam, & virtutem intueri possimus, non sufficere, si eas contemplemur, Plinii alicujus, vel Lucretii ritu, quales duntaxat per se sunt, & in sola earum natura sistendo: sed diluendas necessariò esse salivâ, & unctione Verbi divini, hoc

hoc est meditandas ex supernaturali fine, cū-
que pio voluntatis sensu, & sapore. Alio-
quin pergent esse, quod re ipsa sunt, mera hu-
mus, nulliusque ad finem quæsitum auxilii,
imò impedimentum oculorum potius, quàm
collyrium, aptioresque ad excæcandos, quàm
videndi facultate polleant, quàm ad imperti-
endam hanc cæcis. *Quid salivæ nomine, inquit*
S. Gregorius (L. 8. Mor. c. 18.) nisi sapor inter-
næ contemplationis accipitur? Unde salivam luto
miscuit, & cæci nati oculos reparavit. Quia su-
perna gratia carnalem cogitationem nostram per
admistionem suæ contemplationis irradiat, & ab
originali cæcitate hominem ad intellectum reformat.
Quapropter neque expediet hæc, aut illa na-
turæ miracula minutè adeò indagare; ut eo-
rum speculatio totam mentem tuam occupet,
& ab ascensione in DEUM, ad quam invita-
re debuisset, retineat: quemadmodum à Plu-
tarcho observatur, (*Quæst. Nat. qu. 23.*) Re-
dolentia floribus loca impedimento esse vena-
ticis canibus, nè quæsitæ ferarum cubilia odo-
ris indicio deprehendant. Sed tantum so-
lummodo in divinorum operum contempla-
tione te ponere studii par erit; quantum sit fa-
tis ad justam animo concipiendam admirati-
onem, & reverentiam sapientissimi, poten-
tissimique eorum Authoris. Nam hic demum
est

est unicus finis , ad quem tua meditatio collimat , propriusque ille fructus , quem tum in qualibet ejus parte, tum præcipuè juxta finem persequi debes : curans tunc maximè prædictos animi motus ciere , & expromere.

CAPUT XI.

Similis alia , conscendendi in DEUM praxis, per consecrarium secundo loco propositum.



Altera jam vocat nos praxis, conscendendi à rebus creatis in DEUM, per argumentationem supra explicatam, qua evidenter conficitur, singulas quasque harum prærogativas in comuni illo omnium principio, & infinitis quidem partibus ampliores existere. Praxis nemini non sanctorum virorum maximè familiaris, sed à Seraphico imprimis Patriarcha Francisco usurpata, qui, teste D. Bonaventura, in quibuslibet rebus bonis, & pulchris archetypam summi earum Creatoris bonitatem, pulchritudinemque intueri solebat: & perfectiones perfectionibus superaddens, multò felicius, quàm fabulosi olim

G